QVÆSTIO MEDICA
CARDINALITIIS DISPVTATIONIBVS MANE DISCVTIENDA IN SCHOLIS MEDICORVM DIE IOVIS XX. MARTII.

M. GILBERTO PVYLON, Doctore Medico Præside.

An tuberum quam fungorum esus tutior?

I.

CALOR nativus functionum & operum naturæ author otium sui non novit, agendo deterit, à quo fovetur & sustentatur: delibatæ integritatis detrimentum continuò reparare satagit, id præstat etiam cum fœnore, aëre, potu & cibo, illius nullus est appetitus, quia jugis necessitas; patulas idcirco nares construxit non minus prudens, quam provida natura; horum duplex, objecto formali discretus; naturalis unus, animalis alter; ille sine, hic cum prævio indigentiæ sensu; ille unicuique corporis parti proprius, & in illius usum tantùm comparatus; hinc ejus & partium inter se natura discrepantium par omnino numerus; vel toti corpori non modo utilis, sed & planè necessarius; & is in viscere nutritio principe sedem habet: animalis duplex, sensitivus uni superiori orificio ventriculi ingenitus; & rationalis, cerebri inquilinus. Omnis ut conveniens alimentum sectetur, ineptum deserat, aut noxium respuat, rectore opus habet. Naturalis naturæ instinctu nec erroris aut fallaciæ umquam reo ducitur: sensitivus & rationalis cognitione; sensitivi dux imaginatio; rationalis moderamini præest intellectus. Omnis appetitus, ut idoneo alimento frui valeat, illi uniri debet (secus quam in sensibus) per se nullus potest: idcirco vim motivam sibi subordinatam habet, & in illam herile imperium exercet. Naturali conveniens id est, quod parti, cui insidet, amicum & consociale; sensitivo, quod delectat, hoc unum novit & illi proponit imaginatio; rationali, quod utile: hinc imperiorum utriusque appetitus animalis pugna (nisi fortuito jucundum cum utili coincidat) sin contra prorsus adversetur, quo tunc se convertet vis illa? Cui nefas perinde est alterutrius detrectare imperium; dignitate præstantiori obsequiosam non se præstabit, sed fortiori cedet: hinc illa hominum temperantium lucta præcipua est, ut inter bibendum & edendum insidiantis & inhiantis cupiditatis laqueis non sinant se irretiri: ne dum leviora corporis damna resarcire coguntur, graviora incauti inferant animæ. Quam longe alia mens est iis, qui de voluptate, quam sanitate suâ magis solliciti spretis cibis succi optimi, temperatis & coctu facilibus, crassi ac vitiosi succi & duspeptis per artem voluptatemque corruptis non tam explere famem quęrunt (quæ ambitiosa non est) quam quemadmodum post saturitatem esuriant. Quæ res facit;

ut eos præferant, qui peregrinæ qualitatis labe, aut ſaltem ſuſcipione non vacant prorſus immunibus, licet horum eſum tutiorem ratio ſuadeat, experientia comprobet.

I I.

QVEMADMODVM aqua guttatim decidens aſſiduo illiſu ſenſim excavat lapidem, ſic diutina alimentorum exhibitio non minus obſcuris initiis impensè alterat & manifeſtè immutat corpora noſtra: ea ſiquidem non modo qualitatibus ſuis, ſed & ſubſtantiâ nos afficiunt ſuâ, & eò vehementiùs & penitiùs quò diutiùs, coctione in chilum, ſanguinem & ſuccos alendo corpori idoneos à calore noſtro nativo convertuntur, qui priſtini temperamenti ſemper tenaces in conditionis ſuæ ſubſtantiam degenerant, & ea in locum deperditæ diù & continuò ſuffecta laudabilem ſibique prorſus conformem omnibus corporis partibus tandem conciliat temperiem eamque firmam ac ſtabilem. Quamobrem dici vix poteſt, quàm victus exquiſitus, conſtans & diuturnus eximium ſit chronicorum morborum remedium; plurimorum contumaciam vi naturæ amicâ infringit ac ſuperat medicamentis validiſſimis non cedentem. In quibus qualitatis unius aut alterius adeſt exceſſus, ea ſimul atque ingeſta ſunt virium ſuarum proferunt indicia, eò luculentiora, quò qualitatis intenſio & activitas major, eo diutiùs quò longiores moras nectunt in ventriculo, ut ſubigantur & plane conficiantur; eorum in ſanguinem alioſque humores & partium ſubſtantiam converſione qualitates exuperantes retunduntur quidem, at non extinguntur; & eæ partibus & humoribus impreſſam intemperiem ſibi oppoſitam temperant, & ad mediocritatem reducere aptę ſunt: at ſi nulla pręexiſtat, novam inducunt, quæ frequenti iiſdem qualitatibus præditorum edulliorum uſu magis invaleſcit. Quæ familiaritati ſubſtantiæ noſtræ adjunctam habent peregrinam quamdam qualitatem ſive aſcititiam ſive congenitam, niſi cocturâ aut artificioſâ conditurâ ea obtundatur, periculi & terroris plenas malignitatis ſuæ notas eveſtigio dabit, anxietates, nauſeas, ructus nidorulentos, vomitus, ſitim inexhauſtam, alui profluvia, dejectam omnino appetentiam, vertiginem, convulſiones; ut olim Athenis ex copioſo coturnicum veratro nutritarum eſu plurimis obtigiſſe memoriæ proditum eſt. Sin hebeſcat ea vis, tum coctione tum aliorum ciboum permixtione, & parcior ſit ciborum eſus, nullam gravem inferet noxam: at verendum ne proceſſu temporis, quæ cum ſanguine & reliquis ſuccis in univerſum corpus dimanavit, crebriore eorumdem uſu vegetior facta, ſanguinem, humores omnes quoquoverſum diffuſos ſic inquinet ac labefactet, ut in ſaniem ichoroſam ac bilioſam faceſſat, quâ viſcerum ac præſertim hepatis ſubſtantia corrumpatur. Hinc morbi occulti orientur cum ſummo virium omnium languore, quorum hyparxis non minus fugiet medicos, quam legitima eos cauſa latebit, morſque immatura obrepet iniqui medicorum opprobrij, & inſulſi potius, quam ſalſi in eos ſcommatis inane fundamentum, ſed æquiſſimum abdominis mancipiorum ſupplicium.

I I I.

TVBERA & fungi plantæ ſunt imperfectæ, non bulbi, pari jure deorum filij, non cibi, quos in alimentorum cenſum retulit cupiditas non neceſſitas. Illa ineptè terræ vitium, rectiùs miraculum, (maximum ſiquidem eſt aliquid naſci ſine ſemine, vivere ſine ulla radice.) Suum & liguritorum deliciæ, ac cibatus gratiſſimus, venantur ſues, ſoli olfactu retegunt, roſtro effo-

diunt. His ducibus vel ὑδροφύλλῳ indicante aucupantur alienæ voluptati mancipati: hos vænui subjiciendos excerpunt lucri avidiores, quam alienæ salutis anxij: ancipites facit naturæ diversitas, non illa, quorum una est, non una bonitas, duplici constant substantia cortice & carne, ille crassus & durus non est esui; hæc humorem duplicem continet, superfluum unum aqueum in putredinem pronum; alibilem alterum, ex quo & carne simul attritis & perbellè subactis calor noster nativus succum elicit non vitiosum, crassum, frigidum, nutriendis corporis nostri partibus non planè ineptum; eorum similis non est semper crassities, quorum cortex maculis distinctus caro candida tenuiorem & suaviorem suppeditant, quam quæ cute sunt nigrâ vel subrubrâ & carne subflavâ. Fungis partium dissimilium & organicarum inest varietas, non tuberibus, utrisque similarium par numerus, callus & pulpa, hæc usquequaque sibi similis, non ille. Horum alij deleterij sunt, & quidem naturâ suâ, edules alij, & hi casu venenatam qualitatem identidem contrahunt ex natalibus suis, ferri rubigine inquinati, vel panni putridi viciniâ, vel venenatorum animantium morsibus; dubius idcirco eorum esus, quem semper suspectum reddit humor extrementitius γλοιώδης ἐπίπαστος, cum tenui acoris participe connatus, quo luxuriant, gravium morborum & symptomatum parens: horum tria signa pathognomonica, ἄσθμα πνιγμὸς ἐοικὼς ταῖς ἀγχόναις & ὀδύνη γαστρὸς; hæc tam acris est nonnunquam, ut animi deliquium consequatur & mador totius corporis cum perfrigeratione: communia duo cholera & diarrhœa. Humorem hunc nec ejusdem planè moris, nec pari copia singulis indidit natura; idcirco non eadem est omnium indoles: verni autumnalibus præstantiores: inter quos boleti sive capreolini omnium minimi, sessiles præferendi meruliis Galeno ἀμανίτας, Plinio suillis: Autumnales, qui rubent callo minus diluto rubore, quam boleti nomenque generis retinent, soli sunt in usu: candidi velut apice flaminis insignibus pediculis in regionibus calidis, non in frigidis eduntur impunè.

IV.

ESCULENTA ex eorum sunt genere quæ τὰ πρός τι, eorum ratio tria includit, familiaritatem substantiæ cum eo cujus sunt esculenta; hæc fundamentum est appetitus; cum eo proportionem convenientem, quæ alterationum illarum & mutationum omnium principium; & similitudinem substantiæ, quæ ubi reapse omnimoda existit, earum finis est. Substantiæ familiaritas naturæ, non artis opus. Illius judex præcipuus gustus, tum olfactus; idcirco nares vicinitatem oris secutæ sunt: de ea judicium fert ille ex saporis, & quidem rectius certiusque, hic ex odoris suavitate: ille, non hic ex substantiæ teneritudine & lævitate, eamobrem gustus est quidam tactus. Ex tam multis tamque variis quibuscum nobis intercedit substantiæ affinitas, alia ad extemporaneos usus producit natura, hinc nullo adhibito artificio fructus recentes plurimi etiam cum termite devulsi eduntur, vel vieti, vel fracidi (dari fungum quemdam candidum regium his annumerandum refragatur fungi natura) alia tot sunt numero tamque varij generis, ut ea parandi & coquendi artes innumeras, mille condiendi modos invenerit necessitas aut cupiditas, quibus, si quid illis insit vitij, eluatur, tum ea odoris & saporis gratia & substantiæ teneritudo, friabilitas aut mollities concilientur, quibus erudito palato grata sunt, alioquin ne degustare dignaremur, quis grana frumenti optimi glumis excussa dentibus terere vellet, ut famem expleret? Tubera ex conditione soli & loci, in quo sponte proveniunt la-

titantque animalium venenatorum morſibus & inquinamentis nequaquàm patent; ex coctionis modo & eorum quibuſcum torrentur aut elixantur virtutibus ingratus illorum ſapor perit, & odor gravis tam facile corrigitur, quam illorum humor excrementitius crudus & aqueus, utriuſque author nullo pene negotio diſcutitur. Idem ſi de veſcis fungis ſtatui patiatur humor tenuis aceſcens, quo diffluunt, refragatur eorum ſuccus, σύγκομος ægre coctionem admittens, qua incraſceſſere quidem poteſt, non penitùs incidi ac diſſecari ejus viſciditas, quæ ne eorum, quibuſcum coquuntur cedit viribus, multò minus planè debellatur: & ſi quod illis venenum fortuito ſit affrictum, id elixatione vel torrefactione refringi poteſt non omninò reprimi.

V.

EAMOBREM fungos naturâ vel caſu deleterios, immo & præſtantiſſimos, ſed crudos, vel imperfectè coctos, vel nimiâ copiâ devoratos mortis ſeminium non ineptè quis indigitarit. Ab his in cibos adhibitis morbi graves & periculoſi excitantur, mors præmatura acceleratur, èquâ non tam oxymelitis potus, aut aquæ egelidæ balneum Pauſaniæ puellam vindicavit, quam vomitus (quovis alexipharmaco præſentius remedium) is non ſemper tempeſtivus. Ne noceant præſtat in totum abſtinere, quam eorum vitium excoquere mero, fæce illius uſtâ, aceto, pyro ſilveſtri, pyraſtri foliis, rutâ, raphano, abſynthio, nardo, ſale, nitro, aphronitro, ſtercore columbino vel gallinaceo, vel etiam coctura duplici: ſi parcus ſit eorum eſus, vix aliquid noxæ accedet (ſi modo rarus,) ſi creber, vel continuus pravam tandem totius corporis conſtitutiònem inferet; idcirco æquiſſimus leviſſimæ voluptatis contemptus antiquaret, & merito optimi ſoli venales non ſunt; à vitioſis diſtinguere vix ulli datur quantumvis in eorum cognitione exercitato, virus illis inuſtum à natalibus, aut rerum viciniâ, quæ cum illis inimico diſſident odio, eorum formam externam non vitiat nec colorem natium immutat: periculum facere illorum bonitatis aut pravitatis per multa variaque experimenta laborioſius: quis tantum temporis conterere, tantum operæ in re tam parum utili explorandâ ponere vellet? præſertim cum vitium quodvis impreſſum an illis retegi poſſit, ambigatur? cibi tam dubij eſus temerarius. In tuberibus nihil occultum ſive congenitum ſive adventitium, vires eorum omnes ſub ſenſuum cognitionem recidunt, ſi quis illis inſit defectus, is ſe profert corticis & carnis colore, qui & bonitatis index eſt, dotes eorum variæ, rebus quibuſcum bulliunt, aut incoquuntur ſaporis & odoris ſuavitatem ex facili aſciſcunt, per ſe nequaquam ſapida; nutriendi vim obtinent, at ſuccum frigidum & craſſum ſuppeditant, ventriculo coquenti laborem faceſſunt, non omni ſemper, nec parem: is in ſanguinem converſus vehiculo habet opus, ut in partes ſolidiſſimas, quibus alendis maxime idoneus eſt, derivetur; ſingularem condiendi & coquendi modum poſtulant, ut grata palato ſint & ſalubriora: eorum arte præparatorum eſu ancipiti morbo, vel repentina morte quemquam correptum eſſe hactenus inauditum eſt.

Ergo tuberum quam fungorum eſus tutior?

Proponebat Lutetiæ CLAVDIVS DE QVANTEAL, Caſtellioſequaneus, A. R. S. H. MDCLXX.